

I. N. S. S. T.
DISQUISITIONEM
HISTORICO-PHILOLOGICAM,
Num a

JOHANNE
PHARISÆI ET
SADDUCÆI
FUERINT BAPTIZATI,

Occasione eorum, quæ Matth. III: v.
7. seqq. leguntur,

Consentiente Amp^l. Eb^l. ad Auram Ordine,
Sub PRÆSIDIO

Dn. ISAACI BJÖNKJUNDI
Rect. h. t. Magnifici, nec non L. L.
Orient. Prof. Reg. & Ord.

Publico bonorum examini modeste submittit
JOHANNES RUMFELDU

Aust. Fen.

Ad diem D. V. 6. Apr. An. 1734.
loco & horis ante merid., consuetis.

ABOÆ, Exc. Joh. Kiämpe R. Ac. Typ.

Handwritten signature

Stæ R:æ M:tis
Magnæ Fidei VIRO,
GENEROSISSIMO DOMINO

D^N. MARCO
TUNGELFELT,

Ad Legionem Demacharum primari-
am CHILIARCHÆ LOCUM TE-
NENTI Strenuissimo,
MÆCENATI Magno,

Ingens iste beneficiorum cumulus, quem
contulistis, indiesque confertis, effecit,
pagellis ipse jusserit. Hæsi, idque haud im-
levidense hoc chartaceum munus Vestra cat-
ro, & Martis me galea terret, & animus
tur: si in me ipsum, ora & vultus pudore
humanitas, cujus beneficio singulis ad Vos
rentem, cui non potui non gerere morem,
mentis veneratione rogo & obtestor, veli-
tæi pergere animo, nec non ad gnatum e-
submissee per-

Generosissimi atque Nobilis-

Cliens

Joh.

NOBILISSIMO atque AMPLISSIMO
DOMINO

D^N. OLAVO

TOERNE,

ADSESSORI Collegii Commercio-
rum Gravissimo,
MÆCENATI Optimo.

*Gen. & Nob. D. in parentem carissimum
ut Gen. & Nob. Nomina Vestra bis presigi
merito, aliquandiu dubius, an sustineret
eare limina. Si n. in Vos oculos convertere
ad sublimiora natus exilia despicere vide-
suffunduntur. At crexerunt animam partim
aditus patet, partim pietas, quæ erga pa-
træ insidet menti. De cetero humillima
tis eodem quo hæcenus parentem comple-
andem extendere gratiam, Dum vixero,
mansurus sum*

simi Nominum Vestrorum

humillimus

RAMREDI.

VIRO Nobilissimo atque Consu'tissimo,
Dn. ERICO JOHAN. TOLPO,
Consuli, qui Justitiæ administrandæ
præst, Aboensium Æquissimo,
ut hæctenus fere per triennium Nu-
tritio liberalissimo, ita omni semper
animi veneratione ætatem
colendo.

VIRO Plur. Reverendo atque Clarissimo,
Dn. JACOBO FROSTERO,
Archi-Diacono Cathedralis Ecclesiæ
Aboensis Vigilantissimo, omni lem-
per honoris cultu prosequendo.

VIRO Spectatissimo,
Dn. JOACHIMO SCHÆFER,
Civi & Mercatori inter Aboenses ho-
noratissimo, ut antea Nutritio indul-
gentissimo, ita nunc Fautori
certissimo.

Multi quidem, immo per plurimi ista
Nepotis crepant: Tanta prestitisti,
ut a patre plura proficisci haud potuerint.
Quo animo, qua mente, quove consilio,
MICH

meum non est dijudicare. Il certe scio
idque in laudem atque gloriam Vestram,
Patroni benignissimi, & possum & debeo
dicere: quod non modo tanta, quanta a
patre proficisci possunt, in me contuleritis
beneficia; sed, quod gratissima mente
nullo non tempore agnoscere pergo, longe
etiam plura, longe majora, Vobis accepta
fero. Vos me inopem opibus sublevastis,
nudum fere cooperuistis, animum jam la-
bantem ac demissum erexistis, necessaria
suppedicastis, noxia advertistis, utilia dees-
se haud passi fuistis. Quid multa? mi-
nima sunt, que dico, si vel diem consum-
sero; plurima tamen dicendorum restant. Ac-
cipite ergo, Pat. Ben. in gratissimi animi
tesseram, quod dat, dicat ac dedicat,


Nobil. Plur. Rever. atque Spect. No-
minibus Vestris,

Cultor observantissimus
J. R.

Til min Høitidsbrødre P. Faders
Herr CARL NIMMROU/

SÅr år det profsa'n I min Fahr,
Ut af min flit ha'n wåntat
Från första stunden, då jag war
Til Præceptoren håmtad.
Derför jag ock med råtta Er
Det, som en försfling gifwer.
Med tacksam't sinn, som mer och mer:
Hos mig nu moget blifwer.
Hwad meda under flychten I,
Se'n Mo'r blef lagd i griften,
För mig ån spådan måste si,
Tills I Er åntlig gifte
Och skaffade en sådan Mor,
Som rätt må Egen heta,
Det samma skal med wördnad stor,
Jag stådz, erkännna weta.
Gud unne mig at bågge två
Jag hugna må i tiden.
Tills endtliga I sidst samlas få,
Hes Gud i Himla friden!

Min Høitidsbrødre P. Faders
lydigste Son
J. N.



D. D.

PROLOGUS.

IN deliberando de idoneo exercitationis argumento, in hanc de Pharisæorum & Sadducæorum baptismo quæstionem incidimus. Proinde non omnino a via declinare videmur, si pauca de Johanne, Pharisæis & Sadducæis libaverimus, antequam manum solvendæ quæstioni admoveamus, maxime quum nominum horum evolutionem

A

sequu-

tequuturae rei considerationi
non inutilem fore credamus.

§. I.

DE Iohanne itaq; cui officii no-
men Baptista, Zachariae Sa-
cerdotis filio, suae aetatis Na-
ziræo, inprimis quaedam obser-
uanda sunt. Fuit hic vir mira
modestia, Ioh. I: 17 insigni reli-
gionis zelo, Luc. III: 19. & do-
nis singularibus superne venien-
tibus illustrissimus, Matth. XI.
9, 11. Vtut haec ipsa fuere ma-
xima: inprimis tamen in admi-
rationem sui singularis ejus vi-
uendi ratio omnes & singulos
traxit. Hinc disceptationes, hinc
lites ortæ sunt, ut ejus de victu
& amictu inprimis, tot fere sint
opiniones, quot scriptores. Nos
brevitatis studiosi, nobis quæ
sententia arrideat, breviter signi-
ficabimus. Existimamus itaque,

veras & genuinas locustas cibum fuisse Johannis. Id quod eo certius creditur, quod nec insolens Judæis, cfr. Lev. XI. 22. ceterisque orientalibus fuerint cibus, quemadmodum & naturæ & itinerum descriptores testantur. Sciendum vero illarum regionum locustas nostris multo esse grandiores ac salubriores. Pro melle agresti vel silvestri, aliud quidpiam substituere haud possumus, cum nec a littera recedere urgeat necessitas, & frequens esset cibus *ex ἡ ὄρεσιν*, ut loquitur Stolbergius. Amictum Baptistæ cilicium camelinum fuisse haud dubitamus, quippe quod & loco, argumento, & rationi eius vivendi asperæ respondet optime. Pontificii præsidium ordini suo eremitico quærentes, per eremum, in qua vixit Johannes, solitudinem vastam in-

4
telligi debere contendunt. Sed patet, in comparata significatio-
ne, quam vox eremi ad loca cultiora & amœniora habet. hic accipi, quia & solum natale Johannis non plane incultum, sed habitatoribus infestum erat, & præterea non apparet, qua ratione dici possit, Johannem oracula Dei promulgasse in eo loco, ubi præter arbores, feras & saxa nihil esset. Neque ad modum Essæorum Theoreticorum in deserto nostrum vixisse existimandum est. quum nec sectæ huic unquam fuerit addictus. Munus ejus erat, baptisma pœnitentiæ prædicare, sacroque lavacro omnes id serio ambientes abluere. Quam ablutionem quum immersione factam fuisse plerique tradant, modum optime videtur exponere Danzius de baptismo proselytorum. *Baptizandus,*

5.
dus, inquit, *modeste ac sensim*
exutis vestibus in aquam demissus,
edita demo confessione sua, simul ac
semel totum demersit corpus. Ob-
servat Lightf. in Horis Hebr. ve-
stibus indutos aquam ingredi,
etiam in usu fuisse. Quando v.
nudus ex aqua egrediebatur, o-
culos averterunt testes ceterique
præsentēs. Verum non imme-
rito dubiam movet Cel. Deylin-
gius *Obs. Sac. pt. 3. c. 26.* fue-
ritne baptismi ritus penes Judæ-
os in profelytis initiandis ante
Johannem usitatus, quum id
nullo idoneo auctore sit proba-
tum. Unde probabilius putat,
baptismum post Johannem de-
mum a Judæis, illius exemplo
permotis, receptum fuisse.

§. II.

Pharisæos ex Hasidæis natales
trahere, & hoc nomine in-
signi-

signatos, quod peculiariter ab aliis omnibus *separari* & distingui vellent, nobis admodum verisimile videtur. Instituta eorum hæc fore potissima, ut ferunt scriptores. I. Separatio ad meditationem legis, & assiduitatem orandi. II. ad exactissimam vitæ sanctimoniam & virginitatem: feminae enim non minus ac mares huic sectæ sua dederunt nomina. III. Ad continentiam a commercio cum plebe (α). IV. ab habitu vulgari (β). V. a moribus & consuetudine reliqui populi (γ). Dogmatibus hisce a scripturis recedunt I. Traditiones patrum mordicus tenendas, immo supra scripturam habendas. II. Legem respicere tantummodo externa, & per observationem illius salutem obtineri posse & debere. Id tanto facilius credebant, quod corruptionem naturæ

ræ ignorare volebant. III. E-
 ventus rerum pendere etiam ex
 fato. IV. Solos justos resurre-
 cturos. Quæ tamen senten-
 tia non omnibus fuit commu-
 nis. ΜΕΤΕΨΥΧΩΣΙΟΥ quatenus ad-
 miserint, inter eruditos non con-
 venit:

(a) Plebem enim populum terra
 appellabant, cui ingenium humo na-
 tum, & humo dignum assignabant.

(β) Hinc ritum illud: vestes popu-
 li terra conculcatio sunt Phariseo-
 rum. Huc refer dilatationem phy-
 lacteriorum, & amplificationem sim-
 bularum, ultra usum vulgarem.

(γ) Ad hanc classem pertinent jeju-
 nia: que tm. an ab unoquoque bis sin-
 gulis hebdomadibus observata sint,
 dubitat Hottingerus. Decertationes
 cum somno, unde super lapidibus, a-
 liisque rebus asperis, quo citius ad
 fundendas preces excitarentur, cu-
 habant. Lotiones poculorum, lotio-
 nes

nes manuum antequam sumerent cibum, & cum redirent a foro, quas tam necessarias ducebant, ut si deesset aqua, pulvere potius fierent, quam intermitterentur.

§. III.

Missis Phariseis, ad Sadducæos nobis aditus patet. Hos a Sadoco, Antigoni Sochæi discipulo, denominatos, extra dubium ponimus. Anlam v. supeditarunt hæc Antigoni verba: *Deo non instar servorum mercedis causa; sed nullo habito respectu premii serviendum.* Hinc Sadoc & Baithos, quos eruditi sectæ Sadducaicæ conditores statuunt, facillime in errorem, nullam dari retributionem, adeoque nullam a mortuis resurrectionem, incidentes, suos docuerunt: *Traditionem in manu Phariseorum ad vexandum se in hoc seculo, cum in*
scru-

seculo venturo nulla sit merces, stultitiam esse, ut habet Auct. Lex. Talm.
 Hinc patet causam lectæ hujus etiam reiectionem traditionum, non nudam negationem resurrectionis fuisse. Prophetas v. & Hagiographos reiecisse, vix ut credam adducor, quum nulla hujus opinionis indicia in antiquitate de Sadducæis occurrant. Varias tn. absurdas non minus, quam impias foverunt sententias: utpote quod spirituum existentiam, animæ immortalitatem, & spiritualitatem Numinis negarent. Providentiam v. eos penitus impugnasse, sine fundamento asseritur; quippe qui præmia in hac vita asseriebant. Moribus erant præditi ejuscemodi, ut suæ gentis Epicurei merito habeantur, quapropter populo erant exosi. Ultimo notandum, Sadducæos rectius Caraitarum quam Caræ-

Caræ-

Caræos illorum genimina statui.
 Caræos n. una cum Hafidæis
 mox a captivitate Babylonica
 cœpisse, viris eruditis observa-
 tum, Sadducæos non item: quip-
 pe quorum magistri Pharisæo-
 rum, vel si mavis Hafidæorum
 moribus instituti defecerunt.

§. IV.

UT rem ipsam aggrediamur.
 Evangelista Matthæus C. III.
 ubi rationem muneris a Johanne
 administrati tradit, inter cetera
 etiam v. 7. *multos Phariseorum*
& Sadducæorum ad baptisma ejus as-
cessisse narrat. Quæ verba erudi-
 tis, qui ea attingunt, quos qui-
 dem adhuc videre nobis contigit,
 tantum non omnibus nihil dubii
 habere sunt visa, quo minus de
 simplici Evangelistæ affirmatio-
 ne sint intelligenda, quæ homi-
 nes istos non tantum suscipiendi
 bapti-

baptismatis gratia accessisse, verum & revera illo tinctos esse, innuat. Nobis a. quæ attentius in hac re meditationem fixissemus, eo magis opinionis communis falera vacillare, ac denique corruere sunt deprehensa; adeo ut tutius multo & confidentius negativam de hac quæstione sententiam tueri posse nobis videamur. Dum n. validiora ab adversa parte argumenta desideramus, hisce præcipue ducimur rationibus.

I. Omni idoneo testimonio, tam de intentione, quam eventu actus, sententia illa communis destituitur, adeoque lubrica tantum nititur conjectura. Phrasis n. illa generalis *ἐξαρτάται ἐπὶ τῷ* nihil heic concludit, quippe quæ laxior est, quam ut certam actus speciem determinet, nisi alia adsint momenta, quæ rem restringant.

nam

nam venire ad aliquid varia de
caussa, varia intentione, vari-
um ob finem varii possunt.

II. Stilus Evangelicus luculen-
ter satis distingvit eos, qui ba-
ptismum suscipiendi animo ac-
cessissent, de quibus diserte Mat-
thæus: *ἕκαστος ἐλθὼν ἐβαπτίζοιτο.* &
porro de Christo: *παραγίσταί τῃ
βαπτισθῆναι.* Sic Lucas III *ἐκπερευ-
όμενοι ὄχλοι βαπτισθῆναι, & ἦλθον βα-
πτισθῆναι.* De Pharisæis v. & Sad-
ducæis hic aliter, quod alio ad-
essent animo.

III. Contextus ipse manifestam
suggerit oppositionem inter u-
trosque. Quum n. Hierosolyman
& Judæam universam, una cum
accolis Jordani, ad Johannem
exiisse, & confessos peccata sua
ab eo baptizatos esse indicasset,
mox arête subnectit oppositam
hanc narrationem; *ἴδων δὲ πάλιν
τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων ἐρχομένων*

οὐκ ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτῶν, εἶπεν αὐτοῖς
 κτλ. Qua quin diversa prorsus
 intentio, contrariusque omnino
 exitus innuatur, nulli dubitamus.
 Nam quid opus fuisset Evange-
 listæ filium tam subito conver-
 tere, & hosce homines aliis o-
 mnibus, peccatorum confessione
 defunctis, & baptismo tinctis,
 opponere, nisi alia cum hisce
 res ageretur?

IV. Potissimum quum Phari-
 sæi & Sadducæi non legantur vi-
 tiorum suorum confessionem,
 ut ceteri omnes, edidisse, san-
 ctum Johannis institutum, & se-
 vera disciplinam exigendi ratio
 minime patitur, ut credamus
 quenquam ab eo ad baptismum,
 sine ullo pœnitentiæ indicio, ad-
 missum esse.

V. Unde neque sine ratione
 Lucas c. III. quum non promi-
 scuam tantum turbam, sed &
 speci-

specialius publicanos ac milites peccata confessos recensuisset, silentio prorsus Phariseos præteriit. Quod de hominibus tantæ inter suos sanctitatis & auctoritatis minime factum fuisset, si eundem & illi baptismum subiissent.

VI. Aspera illa Johannis increpatio in homines & pœnitentiam præ se ferentes, & baptismo recens ablutos haudquaqvam cadit. Aut n̄ statuendum, reprehensionem hanc factam nondum baptizatis, tanquam præparationem; aut jam initiatis, mox a baptismo. Si hoc: Johannes dicendus est iussisse hoc sacramento, si homines nequam & in pravitate pertinaces sciens volensque eo tinxerit. Tales n̄ eos norit, necesse est, quum baptizaret, quales statim vix aqua baptismali egressos publice pro-

proclamavit. Si ergo rei gnarus γενιματα ἐχιδιων initiasse statueretur, id non sine gravi in sanctum virum contumelia de sacramenti profanatione, dici putamus. Sin illud; quod utique totus contextus & rei ipsius ratio factum arguit: probandum tunc est, Phariseos graviori hoc Johannis ἐλέγχω emendatos, postea peccatorum confessione defunctos baptismum admisisse: cujus tñ. rei neque vola, neque vestigium usquam apparet, sed omnia contra.

Hæc paralleli Evangelistarum textus de hoc argumento subministrarunt.

§. V.

Nunc aliunde nonnulla addemus.

VII. Quominus Phariseos Sadducæosque baptisino tinctos credas

diamus, obstant mores eorum, animi persuasio, & universum institutum. Quod ad Pharisaos attinet, tactu & opinione sanctitatis suæ turgidi, nihil sibi deesse putabant, quippe qui justitiam non aliunde, quam ex rigida legis observantia quærebant, in qua quum perfectionem attingisse sibi viderentur, indignum persona sua ducebant, peccatores se profiteri, & cervicem baptismo pœnitentiæ subicere. Sadducæi v. ad obtinendum finem, i. e. fruendum voluptate hujus vitæ, sectæ suæ placita commodissima sibi & satis esse statuentes, seueram pœnitentiæ disciplinam, qua Johannes regni cælestis candidatos voluit initiandos, tantundem curabant, atq; scrupulosas Pharisæorum vexationes. Animi ergo his persuasionibus imbuti, & longa exercita-

citatione in iis obfirmati, qui, quæso, tam facile nova sacramenta institutis suis aduersa acceperant?

VIII. Neque honori suo & securitati iuris consultum existimabant, si præter auctoritatem Synedrii & seniorum, privato autu ab institutis majorum deficerent, & in re religionis aliquid novarent. Regulam namquam posteriores Rabbini severe urgent, *qui dissentit a magistro, idem facit, ac si dissentiat a Deo*, jam tunc temporis invaluisse, historiæ Evangelicæ passim arguunt. Proinde ante missam a Synedrio ad Johannem legationem, quam ipsi Pharisei obire maluerunt, Joh. I: 24. credibile non est, quoniam eorum, nedum multos (quod foret, si all. Matthæi locus de baptismo suscepto ageret) tantam muneris aucto-

ritatem Johanni tribuere sustinuisse, ut ipsi sese eidem in disciplinam traderent, seniorum de eo sententia adhuc dum in ancipiti pendente. Multo minus id post legationem istam accidisse conveniens est, quam discaltea jam dubitatione, Johannem contemtui haberent, postquam opinionem illorum de Messia aut Propheta quopiam, ingenua confessione esset frustratus.

IX. Certe, quæ fuerit eorum de baptismo Johannis sententia, haud obscure significant ipsi Matth. XXI: 26. humanum fuisse figmentum pronunciatum, modo præ metu plebis rebus ejus faventis profiteri senta essent ausi. At pontificalis ille & seniorum ordo ex hominibus utriusque sectæ constabat, Quid ergo in socios sectæ suæ, qui seniorum decreta publice violare non dubi-

tas.

rassēt, statuere illis fuisset animus?

X. Immo iniquum illud in Johannem convicium, quasi dæmonem haberet, quod Christus Judæis exprobrat Matth. XI: 18. non in alios adeo, quam Pharisæi factus homines quadrat, Qua ergo fronte illi gregales suos, ejusdem professionis affecias excepissent, si qui tali mystagogo initiandos se præbuisent?

XI. Denique omnium validissime sententia nostra clarissimo Lucae testimonio c. VII: 29, 30. confirmatur, ubi cum omnem populum ac publicanos baptizate Johannis tinctos memorasset, mox facta oppositione rotunde asserit, Phariseos & legis peritos, spreto de se consilio Dei, non fuisse ab eo baptizatos. Quo quid evidentius in hac causa dici potuit? Frustra vim ejus dicti eludere conatur

Cl. Raphelius Annot. Xenoph. in Matth III. allato loco, ut putat, simili ex Joh XII: 37, 42. ubi priore verſu Iudæos credidiſſe negat Evangeliſta: poſteriore nihilominus multos principum credidiſſe affirmat. Hinc Lucam ſimiliter ex Matthæo interpretari conatur, univerſalem ejus propoſitionem ita reſtringendo: Quidam ex Phariſæis & Sadducæis baptizati ſunt, licet major ipſorum pars conſilium Dei & baptiſma ſpreverit. Verum locus iſte hinc prorsus eſt alienus. Nam ſi vel maxime, non de diverſo hominum genere, diverſis illis locis, ſed de eodem, Johannes ageret, ipſe tñ. mox eadem orationis ferie ſeſe explicat. Aſt oſtendatur ex toto Lucæ volumine vel littera, quæ univerſalem hanc de Phariſæis negationem reſtringat. Quin & Matthæum eodem ac Lucam tendere

re vidimus. Manebit ergo palmarium hoc argumentum immotum, neque vim universalitatis propositio Lucæ perdet, dum limitatio testimonio evidenti non fuerit probata.

§. VI.

Sed quæres ex nobis, quo demum animo Pharisæi isti & Sadducæi ad baptismum Johannis accesserint. Quid communis sententiæ patroni hic suggerant, ex dictis abunde liquet, videlicet suscipiendi baptismatis gratia illos advenisse. Cujus v. opinionis debilitatem quum nonnulli eruditi, inter eos *Gottfr. Olearius* in observat. Philol. in Matth. & *Starkius* in notis selectis ad h. l. deprehenderent, in contrariam plane sententiam abiire, statuentes venisse Pharisæos & Sadducæos, ut baptismum Johannis se opponerent, & concionem

nem pœnitentiæ sacramentum
 initiationis turbarent. Utrique
 in phrasi Matth. ἐρχέσθαι ἐπὶ τὸ βᾶ-
 πτισμα, patrocinium causæ quæ-
 runt. Hi quidem præpositionem
 ἐπὶ exponunt *contra*: cujus signi-
 ficatus, præcipue in constructi-
 one accusativi, nonnulla produ-
 cunt exempla, tum ex Isocrate
 & Demosthene, ἐπὶ τῶς ἀταγῆς
 αἰσχίῃ. ἐφ' ὑμᾶς παρασκευίξεται.
 tum ex N. Testamento, Matth.
 XII. 26. ἐφ' ἑαυτὸν ἐυσείδη. Luc.
 XVI. 31. ἀπαντίου. τὸ ἐρχόμενον ἐπὶ
 αὐτόν. Verum non sine ratione
 opponit illis Raphelius, nullum
 esse exemplum prolatum, in quo
 præpositio ἐπὶ nomini rem signi-
 ficanti addita, & cum verbo ve-
 niendi, eundi, proficiscendi, a-
 liove similem motum denotante
 constructa, *pro contra* usurpetur.
 Alioquin de Accusativo personæ
 haud inficiatur, ejus constructi-
 onem

onem satis frequentem esse apud
 historicos in mentione hostilis
 aggressionis. Hinc Cl. Rophe-
 lius communem sententiam ex
 exemplis, in quibus ἐπι ἢ ἐπεσθαι
 est accipiendæ rei aliujus gratia ve-
 nire, adstruere aggreditur, qua-
 lia sunt illa Xenophontis: πρὸς σὲ
 ἤλθον ἐπ' ἀργύριον, ad te veniebam
 argenti impetrandi causa. ἐπὶ πῦρ
 ἦλθον, ignis petendi gratia venire.
 Polybii: Ἰός ἐπὶ τῇ χερύρατι παρῆν-
 τας, qui ad pecuniam accipiendam
 venerant. Arriani: οἱ ἐφ' ὕδατος ἐκ-
 βάντες, aequatum egressi. Sed & hi
 liberaliter nimis a particularibus
 in favorem causæ concludunt.
 Ea namque est præpositionis ἐπι
 adfectio, ut prima & generali
 significatione notet *super*: quæ de-
 inceps pro substrata materia, pro
 vario scribentis respectu & a-
 gentis intentione, in specialibus
 varie determinatur, ut diversis-
 sima

sima ingredi enunciata queat.
 Unde quod Raphelius Oleario
 objectavit, merito & ipsi reperi
 potest, *ipsam orationis materiam
 atque sententiam declarare, quo sen-
 su prepositio ista sit accipienda.* Quem-
 admodum n. nullum est in textu
 Matthæi de Pharisæis & Saddu-
 cæis indicium, hostili eos fuisse
 animo in baptisma Johannis: ita
 neque est quidquam quod ar-
 guat, intentione suscipiendi ba-
 ptismum accessisse. Relinquitur
 ergo phrasi Matthæi generalis
 illa & indefinita notio, qua illi
 duntaxat Johanni baptizanti su-
 pervenisse dicuntur, sive simpli-
 citer adventus ad locum actum-
 que baptismatis indicatur, non
 determinato quo venerint ani-
 mo Luculentum hujusmodi ex-
 emplum, ejusdem veniendi ver-
 bi cum nomine rei in eadem ac-
 cusativi constructione, legere
 licet

licet Marc. XVI. 2. *ἔρχονται ἐν
 ᾧ πυρρῆσι.* Quod si regula Ra-
 pheliana metiamur, quam ab-
 surdum foret, mulieres accipi-
 endi monumenti gratia venisse.
 Verum apparet perspicue, nu-
 dum hic accessum narrari, non
 denotato simul eadem phrasi fi-
 ne. Numquid igitur, inqvies,
 Pharisaei Sadducaeiqve sine ullo
 animi proposito advenerunt? Ne-
 minem facile adeo stolidum exi-
 stinamus, qui omni prorsus in-
 tentione destitutus rem aliquam
 adeat. Sed aliud est, actum de-
 stinato consilio ab agente suscipi:
 aliud rursus idem consilium a
 scriptore, qui actum refert, re-
 spici & stilo designari. Quam-
 vis Evangelista, cui non erat con-
 stitutum Pharisaorum consilia
 hic enarrare, sed ex occasione
 tantum adventus eorum, Johan-
 nis institutum & sanctam mune-
 ris

ris administrationem illustrare,
 intentionem istorum hominum
 silentio prefferit: non tñ. ardu-
 um erit, eandem ex moribus e-
 orum colligere. Scilicet quum
 rumor increbuisse de novo hoc
 doctore, qui tanto cum populi
 concursu & adprobatione novam
 instituere disciplinam videretur:
 homines hi & graves & curiosi,
 non quidem sine attentiore exa-
 mine ad instituta seniorum con-
 vellenda & innovandos ritus vul-
 gi more ruere, honestum sibi
 ducebant, maxime quum homo,
 ut putabatur, plebeius quendam
 sacris immutationem inducere
 aggrederetur. Attamen quod
 tunc & Eliam & Messiam anxie
 expectarent, ipsi eum concio-
 nantem præsentes audire, & ba-
 prizantem coram spectare desi-
 derarunt, ne consilia forte in
 contrarium præcipitarent, sed ut
 li.

liquidius de re iudicium ferre,
 experientia firmati, possent. At-
 tentionem excitabat insolens illa
 initiandi ratio, ad quam & Ju-
 dæos ille promiscue adegit, qui-
 bus tñ. ipsorum sententia, no-
 va initiatione non esset opus.
 Quid si neque in profelytorum
 initiatione ante id tempus audi-
 tum erat, baptismi ritu eos in
 communionem sacrorum recipi?

§ VII.

VERUM tñ. videtur sibi vir e-
 ruditiſſimus Raphelius in i-
 psa oratione Johannis reperisse,
 quæ sententiam communem sus-
 fulciant. Nos v. ea de re gene-
 ratim has præmittimus cautiones.

I. Ut confirmemus hic quod
 ante constituimus, severa illa Jo-
 hannis oratio ineptissime ad ho-
 mines jam baptismo recens ini-
 tiatos applicatur, quippe quæ
 aperte est præparatio ad bap-
 tismum

smum, tanquam summæ concionis pœnitentialis *υπερβολικὴ* plenior deductio, non Pharisæis tantum hic, sed alias reliquis a Johanne proponi solita. Ut n. Christus ipse hunc œconomizæ divinæ ordinem statuit. *μὲν ἑστὴν αὐτὸς βαπτίζων*, Matth. XXVIII. 19. ut baptizandi primum informantur: ita pœnitentiæ, præconem quam maxime decebat, sinceram severe urgere pœnitentiam, priusquam participes faceret sacramenti, quod erat *baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, Marc. I. 4.

II. Nulla adest ratio, quæ sva-deat, perspectura fuisse Johanni Pharisæorum ad se adventantium alienum a baptismo animum, si n. dignoscere potuisset, quo quisque animo esset adfectus, non tot admisisset ad sacramentum, quot experientia post eo abufos pro-

probavit. Ille a. quosvis advenientes excepturus, ad pœnitentiam & baptismum adeundum hortabatur. Non itaque mirum erit, si neque de istis hominibus, quum accedentes videret, spem omnem de proposito suscipiendi baptismi abiecit, quanquam moribus eorum inductus, graviter increpitos excepit. His observatis facile erit singulis obviam ire.

Primum, quod objicit Rappellius, hoc syllogismo sistit: *Illi, quos alloquitur Johannes, venerunt ut ab ipso baptizarentur. Id ait Lucas III. 7. Atqui Pharisei & Sadducei sunt, quos alloquitur Johannes. Quod Mattheus hic testatur. Ergo Pharisei & Sadducei venerunt ut baptizarentur a Johanne. Verum manifeste diversi casus, diversa tempora, objectaque diversa confunduntur. Non n. putan-*

tandum, unius tantum occasionis sermonem ab utroque Evangelista exhiberi; sed potuit eadem pœnitentiæ concio, pro re nata, alio tempore ad alios haberi, ceu ex Marc. I. 7. 8. liquet. Quia ego Lucam non aliter ac scripsit, sensisse judico, quum *populum* a Johanne objurgatum refert. Certe graves causæ Johannem sæpe movere poterant, ut communiter in populum Judæum, præstantiæ suæ opinione tumidum, eadem inveheretur severitate, qua spiritus Pharisæorum reprimere laboravit: maxime quum ipse Lucas III. 18. Johannem præterea multis aliis hortatum fuisse turbam, diserte memoret.

Alterum ejus argumentum hoc est: *Qui potuisset Johannes eos adhortari ad fructus pœnitentiæ dignos, nisi jam suscepto baptismo pœnitentiæ præ se tulissent? Ante n. arbor*

*bor sit necesse est, quam fructus po-
 stulentur. Ast hoc minime pro-
 bat quod concludendum erat.*
 Johannes n. sui esse muneris ra-
 tus, priusquam quemquam ini-
 tiaret, veram pœnitentiæ ratio-
 nem exacte edisserere, ne qui fal-
 sa deciperentur persuasione, in-
 dignique se obtruderent; docet,
 non sufficere speciem præ se fer-
 re, sed eam demum veram esse
 pœnitentiam, quæ propolitur
 mores emendandi pariat, & quã
 mutati animi facta sequantur.
 Annon in politicis negotiis, qui
 commissorum pœnitentia ducun-
 tur, & in gratiam invicem redi-
 re cupiunt, antequam plenam
 ineunt reconciliationem, de do-
 cumentis amicitiae in posterum
 colendae pacisci & possunt & so-
 lent? Annon fructus olim perci-
 piendos apud animum prius pro-
 ponis, quam arborem seris?

Tertiam petit rationem ex v. 11. *Ego quidem baptizo vos aqua;* non aliunde putans firmiter demonstrari posse, Phariseos & Sadduceos, quos Johannes compellavit, baptizatos esse. Sed experiamur robur demonstrationis. De quibus Johannes hoc pronunciat, eosdem mox a Christo igni & Spiritu Sancto baptizatum iri indicat. Si ergo prius enunciatum valet de baptismo re & actu suscepto, valebit & posterius. At ne speciem quidem veri habet, Phariseos illos & Sadduceos unquam a Christo esse igni & Spiritu Sancto baptizatos. Ergo neque illud de actuali eorum baptismo loquitur. Verum constat sibi hæc Philologorum observatio: *Verba actionem seu effectum notantia, de voluntate & voto agendi non raro intelligenda sunt.* conf. Glass, Philol. Sac.

Sac. lib. 3. tract. 3. can. 7. Ut sensus
 Johannis sit: *Ego quidem baptizare vos
 intendo, ut fere officium maum; live mu-
 nus meum est baptizare, quod quot vestrum
 penitentiae baptismum non repudiant.*
 Queniammodum & Christi erat, sub-
 limiori baptismo eos tingere, qui-
 cunque illud essent recepturi.

Denique, ut liberales simus, po-
 tuisset addi ex v. 7. *Quis monstravit
 vobis venturam iram effugere?* Verum
 facile condonandum pietati Johan-
 nis, quod spem foueret de animo
 illorum admittendi baptismum, non-
 dum de vera eorum intentione in-
 formatus. At si praefacte conti-
 das, innotuisse Johanni istorum pro-
 positum, non tamen aliud hinc elici
 posset, quam quod Christus iisdem
 suggerit Matth. XXIII: 33. *πῶς φύ-
 γητε ἀπὸ τῆς κείρας τῆς γέννης;* vide-
 licet non constare illis rationem,
 qua iram futuram evitarent.

Quum itaque vulgatam sententiam
 tam infirmo stare talo viderimus, li-
 ceat nobis rationibus pro negante
 parte solidioribus hactenus allatis
 acquiescere.

SOLI DEO GLORIA.

ſuoni eruditiffimo
D. JOHANNI KRISTO RUDOLPH
Amico Singulari
περοσφώνησις σχεδία.

περ ἔμεν ἐγνωρίσθη, ὅτι σὺ, φίλε ἡδίστε,
τῆ ἀπαρχῆν τῆς σὺ σοφίας περοσφρων,
διατρεῖβιν ἐκείωσις ἀκρβεσάτην πρὸ τῶ
τῶν Φιρισιαίων καὶ Σαδδουκαίων βαπτί-
σματι, ἢ καὶ αὐτὸ ὑπὸ Ἰωάννου τῶ
βαπτιστῆ ἐν τῷ Ἰορδάνῃ βαπτίσθησαι. ἐγὼ
ἀφορμῆς τὴν τοχαῖν ἐπιτηδίας, τὴν ἰαυ-
τῶ χαρὰν μεγάλην ὀπλώω καὶ ἡδονήν, μέ-
γιστε συγχαίρων, ὅτι πᾶσαν σπυδὴν ποι-
εῖς ἐπιλύσαι ταύτην τὴν ἰαπλοκί, τὴν ὅς
πῶς ἀγίοις ῥάμμασιν ἐλληπιοῖς, ὡς δοκεῖ.
Διότι εὐδαιμονία σοι καὶ πάντα καλὰ
ἀυποσχεδίασι εὐχσολαι, ἵα τῶν ἀθλων
καὶ πόων μετὰ ταῦτα καρπῶν τύχοις ἡ-
δίτων. Ἐρρωσο.

Dab. Upsal. d. 1.
Martii 1734.

H. E. Flege.

Eidem.

Rem solers pulchram calamo dum
pingis acuto,
En vere monstras vigilans Heliconis
alumne,
Quo tua te virtus raptat jam mascula
la cursu:
Dei Pater omnipotens meritis jam
præmia lata.

paucæ hæc gratulabundus
scripsit

Jacob. Haartman Gab. Fil.

Eidem.

EX animo letor, dum Tu, doctissime
me RAMKLOU
Ingenii specimen nunc profers, idque
positum.

Macte bonis cœptis, Summus Tibi præ-
mia spondes:

Quippe brevi cingeo merita Tua tem-
pora lauro.

Vive valeque diu, felix in Nestoris æ-
vum:

Dum canas tandem cœlestis gaudia
regni.

Gratulabundus
adposuit
Gabriel Siretius.

Eidem.

*Apprecor innocuis his ausibus omnia
fausta:
Ex voto cedant cetera rite Tibi!*

*Calamo licet breviori; monte tu pro-
lixiori ita voluit gratulari*

*Joh. Lindström,
Aust. Finl.*

Til sin K. Informator.

SÅr mächtige, wise och nådige
Får
Wålsigne och styre Er all Era
dår,
At der med bli'r åhrat hans heliga
namn:
Och nåstan betienter til nytto och
gagn.

Erich Johan Tolpe.